

325.337  
H71d



UNIVERSITY OF ILLINOIS  
LIBRARY

Class

Book

Volume

325.337H71d

Dittenberger Library 1907

STX

Ap 08-5M





DE MILITUM COLONIIS  
AB AUGUSTO IN ITALIA DEDUCTIS.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

DIE XXIII. M. OCTOBR. A. MDCCCLXXX HORA XI .

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**LUDOVICUS HOLLÄENDER**

BURGHERSDORPIENSIS.

---

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT :

CHR. HUELSEN, DR. PHIL.

IOH. KARBE, DD. PHIL.

F. DUEMLER, STUD. PHIL.

---

HALIS SAXONUM

TYPIS KARRASIANIS.

MDCCCLXXX.

325.3

H712

4 F 11 3200

PARENTIBUS SACRUM

172008





De coloniis, quas in Italia deduxit, Augustus ipse in indice rerum a se gestarum, quem monumentum Ancyranum nominare consuevimus (c. 28 ed Th. Mommsen) pronuntiavit haec: „Italia autem . . . .<sup>1)</sup> colonias, quae vivo me celeberrimae et frequentissimae fuerunt, duodetriginta a me deductas habet.“ Idem refert Suetonius in Augusti vit. c. 46 Augustum, nisi egregie fallimur, secutus<sup>2)</sup>). Sed oppidorum, in quae Augustus milites deduxit, nomina diserte neque ab Augusto neque ab aliis veteribus scriptoribus commemorantur, nisi quod nunc hoc, nunc illud fortuito invenitur. Itaque nobis, ut de his rebus iudicare possimus, primum horum oppidorum nomina eruenda sunt.

Quare primum perquirendi sunt rerum scriptores, qui quamquam perrara, nonnulla tamen de his rebus memoriae prodiderunt, Vellejus Tacitus Suetonius Appianus Cassius Dio; deinde adhibendi sunt geographi Strabo Pomponius Mela Plinius Ptolemaeus liber coloniarum; postremo tituli, quorum ad nos memoria venit.

Neque negligendae sunt recentiorum virorum doctorum, qui de hac re scripserunt, dissertationes: Sigonii in libro de antiquo iure Italiae p. 221, Zumptii de coloniis Romanorum militaribus in commentationibus epigraphicis p. 193, Borghesii (opp. 5. p. 257) in disputatione egregia, cui inscribitur „sulla iscrizione Perugina della porta Marcia“; Mommsenus autem in commentario monumenti Ancyrani l. l. et Marquardtius in enchir. 4 p. 450 ita de hac re egerunt, ut magis agere vitavisse videantur.

Quorum neque Sigonius neque Zumptius, quamquam summa hic subtilitate, ille diligentia inquisiverunt, argumentum ipsum

<sup>1)</sup> „militum“ verisimile supplendum est.

<sup>2)</sup> cf. praef. ad Suet. ed. Roth p. XV.

expedire potuerunt; neque Borghesius, quamquam optime etiam de hac re ut semper iudicavit, multum profecisse existimandus est. Namque hi omnes minoribus auxiliis, quam nos ad hoc argumentum tractandum accesserunt. Nostra autem aetate, cum ex corporis inscriptionum latinarum voluminibus undique nova materia ad haec studia promovenda adlata sit, omnibus et scriptorum et titulorum testimoniis de quovis Italiae oppido congestis atque diiudicatis haec quaestio ipsa poscit, ut denuo instituat.

Quod cum coepissem, benevolentia Mommseni et Bormanni egregia adiutus sum; hic enim permisit, ut corporis volumina, nonum et decimum, nondum edita sed typis expressa, ille ut undecimi schedas inspicere liceret. Quare spero fore, ut titulis qui ad hanc quaestionem instituendam opus sunt, usus sim omnibus; si nonnullos vel graviore neglexerim, mea culpa factum esse profiteor. Venia autem petenda est mihi, quod cum dissertationis partes, de quibus corporis inscriptionum voluminibus ipsis usus sim, aliis valde praestent, disputatio mea aequabilitate caret.

---

Quae cum ita sint, primum enarranda mihi sunt ea, quae rerum scriptores de coloniis ab Augusto in Italia deductis prodiderint, deinde agendum de coloniarum indicibus, qui inveniuntur in libro coloniarum librisque geographorum, tum de coloniarum nominibus, quae quaestio ad titulos maxime spectat. Postremo Plinii indicem secutus quae de singulis coloniis memoriae prodita sunt, adiungam.

## Cap. I.

### Quibus fontibus disquisitio de coloniis ab Augusto in Italia deductis nitatur.

#### § 1.

#### De coloniis Augusti quid rerum scriptores prodiderint.

Ut indicem coloniarum, utut constituendus est, etiam rerum ordini inseramus, primum videamus, quid rerum scriptores et de coloniis, quae deductae sunt a Caesaris usque ad Augusti mortem, et de tempore, quo hae deductiones factae sunt, tradant. Caesar dictator in Italia colonias non deduxit (CIL. V. p. 779); sed eo vivo apparatus incepti neque cum mortuus esset, intermissi sunt<sup>1)</sup>. Itaque Octavianus, cum patris hereditatem suscepisset, veteranos praemiorum cupidos permultos invenit. Qui omnes iis non exceptis, qui iam in coloniis habitabant, apud eum denuo stipendia facere libentissime voluerunt. Et haec causa fuit Antonio, ut aliis quam celerrime possessiones suas per senatum confirmari iuberet, alios fratris L. Antonii lege agraria sibi consciscere studeret.<sup>2)</sup> Qua lege inter Idus Martios

<sup>1)</sup> Cic. ad Att. 16. 6 A. 5.

<sup>2)</sup> Drumann III p. 670.

anni 710 et bellum Mutinense, quod mense Aprili sequentis anni exortum est, lata omnem Italiam moderato homini L. Antonio dividendum dari verisimile solus Cicero vidit et pronuntiavit.<sup>1)</sup> Sed quidquid id erat, ex hac lege Antonius, ut Cicero nobis tradidit in oratione secunda Philippica 39, quae inter diem XIII a. Cal. Octobr. et XIII Cal. Jan. concepta est<sup>2)</sup>, colonias Capuam et Casilinum deduxit, quamvis omni auspicio iure turbato. Nam paullo ante lege Iulia a. 695 haec oppida in coloniarum formam constituta erant. Sed hae Antonii deductiones in posterum tempus nihil valent. Nam lex Antonii iam mense Ianuario anni 711 dissoluta est, possessores territoriiis suis exire debuerunt. Quod, si Ciceroni<sup>3)</sup> credendum est, aequo animo fecerunt: nam „nullam impensam fecerant: nondum instruxerant, partim quia non fidebant, partim quia non habebant.“

Ex quo tempore usque ad bellum Philippense de coloniis deductis nihil audimus. Sed ante hoc proelium tresviri r. p. c. duodeviginti Italiae splendidissima oppida militibus, ut fidem et animos firmarent, ad diripiendum destinaverunt. Quorum oppidorum Appianus b. c. 4. 3., qui solus huius foederis inter imperatores militesque mentionem fecit, septem nominavit: Capuam Regium Venusiam Nuceriam Ariminum Hipponium Beneventum. — Et Bruti Cassique viribus fractis Octavianus in Italiam rediit eo consilio, ut coloniae militibus ibi destinatae conderentur, dum Antonius ex Asia pecunias compelleret, quas oppidani pro territoriis adeptis acciperent. Sed Octavianus quidem iam ea re impeditus est, quod L. Antonius et Fulvia permittere noluerunt, ut ille solus colonias condendo magnum militum numerum sibi conciliaret. Cessit Octavianus, contigit Antonio, ut nonnullas fratris legiones in Italia deduceret. Quod quidem et Appianus refert (b. c. S. 43) et fortasse vestigia ad nos venerunt duorum oppidorum ab Antonio hoc tempore deductorum, Bononiae et Perusiae. — Sed hae deductiones Octaviani et Antonii omnes in utrisque partibus invite acceptae

<sup>1)</sup> 5. Phil. 3. 7.

<sup>2)</sup> Teuffel H. L. R. p. 308.

<sup>3)</sup> 6. Phil. 14.

sunt: oppidani suis bonis privati Romam venerunt rem suam dicturi, veterani non solum pecunia, sed etiam voluntate caruerunt possessiones instruendi, satis habuerunt sibi ad ea, quae iam possederunt, etiam aliorum oppidanorum bona rapuisse.<sup>1)</sup> Quae cum ita essent, L. Antonius et Fulvia denuo animum et agendi rationem mutaverunt. Nam patronos miserorum oppidanorum se gesturi veteranis pro bonis pecunias polliciti sunt. — Sed hac re offensiones et inter Antonium et Fulviam et inter hos et Octavianum in dies vehementiores fieri, frustra veterani iam Anconae deducti rixantes conciliare conari. Nam cum et Octavianus et Antonius consilium veteranorum secuturi ad colloquium Gabios convenire vellent, bellum exortum est. Antonius Perusiae oppugnatus oppido capto veniam accepit.

Inde autem Augustus solus colonias deduxit. Et videntur, cum bellum Sicilicum (716.—718) gereretur, coloniae Philippenses nondum omnes deductae fuisse. Nam ante a. 716 Regium et Vibo oppida ab hac misera condicione liberata sunt.<sup>2)</sup> Anno autem 718 seditione inter milites coorta Octavianus veteranos, qui iam apud Mutinam et Philippos pugnaverant, dimittere et deducere coactus est. Et accepimus illo tempore deductam esse Capuam, et Regium, quia vacuum esset, classarios missos esse, sed hac condicione, ut oppidum in coloniae formam non redigeretur (CIL. X. p. 3, Mon. Ane. p. 40). Anno sequenti 719 Octavianus bella gessit cum populis Alpinis, Liburnis aliisque, quibus confectis in Gallia transpadana milites deduxisse videtur Polam Tergestem Parentium Concordiam.

Sed coloni quos undique disperserat, verisimile non quieti manserunt, cum paullo post bellum cum Antonio et Cleopatra exoreretur. Quomodo imperatori auxilium tulerint, non commemoratur. — Insigni proelio apud Actium facto milites in Italia seditionem moverunt, praemia stipendiorum et victoriarum poposcerunt. Cuius rei cum a Maecenate ad Octavianum nuntius allatus esset, statim Brundisium profectus, tamen in Italia solum viginti septem dies commoratus satis habuit natu maximos et ferocissimos sedasse et collocasse; certe intra hoc

<sup>1)</sup> cf. poetarum Tibulli Propertii Horatii Virgilii questus.

<sup>2)</sup> App. l. l. III. 84. Drum. III. 266.

breve temporis spatium fieri non potuit, quin magnus militum numerus deduceretur.

De deductionibus, quae inde ab anno 724 secutae sunt, solus Augustus in indice rerum a se gestarum sic scripsit (3, 22): „Pecunia[m pro] agris, quos in consulatu meo quarto et postea consulibus | M. Cr[asso e]t Cn. Lentulo Augure adsignavi militibus, solvi municipis. Ea | [s]u[mma sest]ertium circiter sexsiens milliens fuit, quam [pro] colla[t]icis | praed[is n]umeravi, et ci[r]citer bis milliens et sescenties, quod pro agris | provin[c]ialibus solvi. Id primus et solus omnium, qui [d]eduxerunt | colonias militum in Italia aut in provinciis ad memoriam aetatis | meae feci.“ — Ex his verbis perspicitur deductionem anni 724 spectare ad Italiam, anni 740 ad provincias, ut Actiaci victores in Italia ipsa deducti sint. Sola Augusta Praetoria non veteranis Actiacis colonia fuit. Sed cum haec colonia constituta sit in castris ipsis exercitus Varroniani militibus huius exercitus, qui cum Galassis bellum gesserat, deductis, hac ipsa re sententia, qua veteranos et Actiacos et Mutinenses in Italia ipsa deductos esse existimamus, adeo non redarguitur, ut confirmetur. —

Et quam late patuerit haec tota deductio, apparet ex alia Augusti sententia, quam caput dissertationis fecimus. Quae fuerint hae duodetriginta coloniae, eruere studuimus. Satis nobis est plerasque destinavisse, quae aliqua probabilitate inter Augusti colonias referri possunt; prorsus nobis aliena est ambitio illa ridicula Francogalli Renieri, qui ausus omnes duodetriginta certe nominare, complures nominavit, quae Augusti coloniae certe numquam fuerunt.<sup>1)</sup>

Certe hae coloniae non fuerunt, ut Rudorffius putat (Agrim. II p. 415) misera invalidorum domicilia; tempus est, ut sententiae tales magis magisque evanescant. Non omnes Augusti coloniae effloruerunt, certe pleraeque. Neque iniuria inde ab hoc tempore in primo loco oppidorum Italicorum coloniae commemorantur. Namque eas, ut Suetonius Aug. 46 refert, Augustus „frequentavit operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam iustruxit, etiam iure ac dignatione urbi quodam modo pro parte aliqua adaequavit excogitato genere suffragiorum,

<sup>1)</sup> cf. Borghesii opp. 5. p. 275 adn. 3.

quae de magistratibus urbicis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent et sub die comitorum obsignata Romam mitterent.<sup>1)</sup> Ac necubi aut honestorum deficeret copia aut multitudinis suboles, equestrem militiam petentis etiam ex commendatione publica cuiusque oppidi ordinabat; at iis, qui e plebe regiones sibi revisenti filios filiasve approbarent, singula nummorum milia pro singulis dividebat.“

## § 2.

### De coloniarum indicibus.

**Liber coloniarum** publici iuris factus in editione Agri-  
mensorum Romanorum I p. 209 — 262 in nostra quaestione  
diudicanda prorsus reiciendus est. Nam postquam Mommsenus  
l. l. II p. 144 — 210 egregie de eo disputavit, constat inter  
omnes hunc librum epitomatorum et librorum negligentia  
mire corruptum et depravatum esse. In quo quamquam non  
desunt, quae ad bonos fortasse auctores redire videntur, tamen  
sic vitis et erroribus redundat, ut in quavis sententia diudi-  
canda primum videndum sit, num id quod in libro coloniarum  
inest, cum iis, quae aliunde colligi possunt, conveniat neene.  
Quo facto solum ea adhibenda sunt, quae aliorum scriptorum  
vel titulorum testimoniis respondent. — Cuius rei insignia do-  
cumenta non solum in Mommseni dissertatione iam laudata, sed  
etiam in quavis corporis inscriptionum parte insunt, ut de hac  
re multis verbis opus non sit. — Qua de causa librum illum  
prorsus abicere proposui, colonias, quas Augusto tribuit, hoc loco  
commemorasse satis habeo: Graviscae Acerrae Atella Beneventum  
Capua Cumae Liternum Nuceria Constantia Teanum Sidicinum  
Venafrum.

**Strabo** 4, 6. 7 solam nominat coloniam Augustam Prae-  
toriam.

**Pomponius Mela** (ed Parthey) II. 58, 64 modo tres co-  
lonias novit: Mutina Bononia Fanestris.

**Ptolemaeus** quattuor decim habet. Cuius testimonia  
nobis nullius momenti sunt, quia inter Augustum et eum nimium  
temporis spatium interest.

<sup>1)</sup> cf. Mommsen enchir 2. p. 691; Eph. Epigr. II p. 227.

**Plinius** autem in tertio naturalis historiae libro magnum et gravissimum coloniarum indicem habet nominum quadraginta octo. Sed priusquam hoc indice uti possumus, de Plinii fontibus in describenda Italia disputandum est.

### § 3.<sup>1)</sup>

#### De fontibus quibus **Plinius** in Italia describenda sit usus.

Italiam **Plinius** naturalis historiae III, § 38—76, § 95—133 [§ 77—95 descriptio insularum maris Tusci continetur] sic describit, ut Augusti descriptionis in undecim regiones ratione habita a flumine Varo regionis nonae incipiat, ordinem, qui litorum tractu efficitur, sequatur usque ad flumen Arsam regionis decimae. In omni regione frequentissima litoris oppida enumerat, cursum fluminum describit, colonias nominat, oppida vicisque literarum ordine disponit, adiungit eos, qui iam interierant.

Atque primum, si indicem auctorum **Plinianum** libri tertii inspicimus, ut auctores, qui potissimum in Italia describenda adhibiti sunt, cognoscamus, invenimus omnes auctores, qui et in indice et in ipsis scriptoris verbis commemorantur, etiam in hac libri parte nominari. Sed hanc quaerendi viam relinquere, aliam ingredi **Plinius** ipse docet Italiae descriptioni sic praefatus (§ 46): „Nunc ambitum eius (sc. Italiae) urbesque enumerabimus, qua in re praefari necessarium est nos divum Augustum secuturos, descriptionemque ab eo factam Italiae totius in regiones XI, sed ordine eo qui litorum tractu fiet urbium quidem vicinitates oratione utique praepropera servari non posse, itaque interiore exin parte digestionem in literas eiusdem nos secuturos, coloniarum mentione signata quas ille in eo prodidit numero.

<sup>1)</sup> cf. **Brunn**: de auctor. iudic. **Plin.** Bonn 1846.

**Marquardt**: Staatsverw. II, p. 200 (ubi cf. priorum scripta).  
**Detlefsen** i. **Comm. Momms.** p. 23—34. Quellenschriftsteller  
 des **Plin.** in d. Geogr. Span.

**Parsch**: Darstellg. Europas i. d. geogr. Werk des **Agrippa**.  
**Philippi**: de tab. Peut. Diss. Bonn 1876. [1876.]

**Schweder**: Beiträge z. Kritik d. Chorogr. d. Aug. 1876. I u. II.  
**Riese**: Geogr. lat. minores Proleg. p. VII—XVII.



nec situs origines persequi facile est Tugannis Liguribus (ut ceteri omittantur) agro tricies dato.“ Ab hoc loco exoriundum primumque cum Zumptio<sup>1)</sup> et Detlefseno<sup>2)</sup> statuendum est Plinium ex Augusti quodam libro sumpsisse

discriptionem in undecim regiones  
oppida vicosque in literas digestos  
colonias.

Quae cum ita sint, hac tota quaestione supersederemus, nisi duo mirabilia occurrerent. Primum hoc est, quod Augusti liber quidem in auctorum indice libri tertii nat. hist. nominatur, in libro tertio ipso autem his duobus locis § 46 et § 17, de quorum altero mox accuratius dicitur; at Agrippa saepissime commemoratur, si de terrarum tractu et mensura sermo est. — Alter hic locus invenitur § 17, quo Plinius de numeris mensurarum diversis, qui de Hispaniae provinciis produntur, agens causas affert, cur terrarum tractus mutatus sit, et sic pergit: „Agrippam quidem in tanta viri diligentia praeterque in hoc opere cura, cum orbem terrarum urbi spectandum propositurus esset, errasse quis credat et cum eo divum Augustum? is namque complexam eum porticum ex destinatione et commentariis M. Agrippae a sorore eius inchoatam peregit.“ Ex quo apparet Agrippam tantum operis apparatu constituto mortuum esse, deinde opus sororem Pollam inchoasse, postremo Augustum aut ob eius mortem aut ob aliam causam inchoatum perfecisse.

Quae si cum eis comparamus, quae § 46 scripta inveniuntur, quaerendum videtur esse hoc: num post porticum perfectam commentarii illi editi sint aequae atque porticus ex communi principum labore orti? num hi commentarii idem sint liber, quem Plinius sub Agrippae nomine in geographicis rebus laudare solet? num hic liber idem sit atque ille Augusti, cuius argumentum § 46 significatur?

Priusquam autem ad primam quaestionem tractandam accedamus, opus est, ut cognoscamus quid sibi velit illa vox Plinii „ex destinatione et commentariis Agrippae.“ Philippus enim, quem Detlefsenus secutus est, hanc vocem non ad operis

---

<sup>1)</sup> Comm. epigr. I p. 196.

<sup>2)</sup> l. l. p. 32.

instituti commentarios, sed solum ad ea, quae in Agrippae testamento scripta erant, refert; Ritschelius<sup>1)</sup> autem vocabulo „destinatio“ descriptionem vel formam vel speciem significari voluit. Ex quibus sententiis certe Ritschelii probanda, Philippii reiicienda est. Namque destinatio significatione, quam Philippus ponit, nusquam invenitur. Est enim deliberatio, voluntas, certum consilium apud Plin. N. H. 36. 12 Tac. H. 2, 47; neque aptum esset „commentarios“ scribere pro testamento. Nam iureconsulti tabulas scribunt pro testamento; commentarii autem a Cicerone in Bruto 75 libri appellantur, „in quibus res diligenter, simpliciter tamen et sine ornamentis memoriae gratia describuntur.“ — Atque si cum Philippio voces „destinatio et commentarii“ pro testamento intelligis, etiam cum eo contendas oportet, eas quas Plinius sub Agrippae nomine terrarum mensuras significet, in porticu Vipsania ipsa scripta fuisse. Sed hoc omnino falsum est. Namque primum Plinius, cum de situ oppidi Persici sinus Characis ab Alexandro Alexandria nominati quaerat, num in litore maris ipso situm sit, porticum ipsam se inspexisse ait in libro 6. § 139<sup>2)</sup>; deinde praeter orbis vel itineraria pictos etiam perscriptos in usu fuisse et Mommsenus<sup>3)</sup> posuit et loco Vegetii iam a Marquardtio (enchir 5 p. 204) laudato luculenter demonstratur (ed Lang. III. 8 p. 74): „Ideo omni cura omnique diligentia dux providere debet ne proficiscens patiat incursum vel facile ac sine damno repellat illatum. Primum itineraria omnium regionum in quibus bellum geritur, plenissime debet habere perscripta ita, ut locorum intervalla non solum passuum numero, sed etiam viarum qualitate perdiscat, compendia diverticula montes flumina ad fidem descripta consideret usque eo, ut sollertiores duces itineraria provinciarum, in quibus necessitas gerebatur, non tantum adnotata, sed etiam picta habuisse firmentur, ut non solum consilio mentis, verum aspectu oculorum, viam profecturus eligeret.“ Postremo traditi sunt nonnulli libri eiusdem formae atque argumenti, quam Agrippae fragmenta, apud Plinium servata prae se ferunt. Dico Dicuii de mensura

<sup>1)</sup> Mus. Rhen. IV. S. 1842 p. 511 adn. 35a.

<sup>2)</sup> „Primo fuit a libere stadios X et maritimum etiam porticum Vipsania habet.“

<sup>3)</sup> Acta (Ber.) Soc. Sax. 1851. p. 103.

orbis librum, divisionem orbis in cod. Palat. 1357, dimensionationem provinciarum, nuper publicatos a Schwedero l. I., Orosii chorographiam editam a Zangemeistero in Comm. Mommsen. p. 715. Qui omnes redeunt ad unum commuem auctorem, ut praeter orbem terrarum in porticu spectandum etiam librum perscriptum fuisse facile intelligi possit. Neque id quisquam infitietur, huius libri auctorem nullum alium esse praeter Agrippam, sub cuius nomine fragmenta illa a Plinio laudantur. Id solum dubitari potest, num commentarii, ex quibus fragmenta repetita videntur esse, ab Agrippa an ab Augusto editi sint.<sup>1)</sup>

Sed hic Agrippae vel Augusti liber non idem fuit atque ille, quem Plinius (§ 46) in Italia describenda se secuturum esse praefatur.<sup>2)</sup> Qui complectebatur, ut fragmenta a Plinio servata, nuper a Philippo et Riesio denuo collecta demonstrant nomina et mensuras mundi hoc tempore noti<sup>3)</sup>; ille, de quo apud Plinium (46) sermo est, ut iam supra commemoratum est, Italiae discriptionem in undecim regiones, provinciarum certe in conventus, oppida vicosque in literas digestos, colonias. — Liber Agrippae vel Augusti, ut Schwederus<sup>4)</sup> demonstravit incipiebatur hac eadem voce, quae divisionem incipit: „Terrarum orbis tribus dividitur nominibus Europa Asia Africa vel Libya, quod divus Augustus primus omnium per chorographiam ostendit“, ob quod testimonium hodie „chorographia“ appellatur. Quam chorographiam aequae ac divisionem et dimensionationem periplus formam habuisse nemo negabit. — Contra concedendum est Augusti librum eiusdem formae non fuisse potuisse, dum Italiae discriptionem in regiones, provinciarum in conventus exhiberet. Nam in Italia aliter ordiri non potuit, quam a prima regione et Roma ipsa, quod et rerum natura et Plinii ipsius testimonio docetur, qui se ordinem, qui se litorum tractu fiat, secuturum esse

<sup>1)</sup> cf. Müllenhoff. in. Herm. ephem. IX. 25.

<sup>2)</sup> De Bacticae ora Plinius 3. 8 sic dicit: „Oram eam in universum originis Poenorum existimavit M. Agrippa.“ Quae vox sola alius argumenti quam ceterae a Plinio Agrippae tributae, tamen cogitari potest in Agrippae libro neque nos ponere cogit eam in alio Agrippae libro scriptam fuisse.

<sup>3)</sup> cf. Ritschl Opusc. III. 271 = mus. Rhen. 1842, p. 508.

<sup>4)</sup> l. I. I, 42. II, 40.

dicens, hunc ordinem alium esse atque illum Augusti planissime indicat.

Quibus expositis Plinium in describenda Italia libro Augusti ipsius, quo coloniarum index continebatur, usum fuisse constat.<sup>1)</sup>

#### § 4.

### Disquisitio de indice Pliniano continuatur et ad finem perducitur.

Liceat nobis iam hoc loco de iudice Pliniano universe pronuntiare sententiam. Argumenta singula, quibus nitatur, in capite secundo invenies, ubi coloniae omnes quas Plinius sive habet sive omisit, enumerabuntur eaque de iis afferentur, quae et ex rerum scriptoribus et ex titulis innotuerunt.

De Augusti autem indice nihil proferre pro certo audeo, quam quod iam supra certis argumentis exposui, eum a Plinio in opere suo adhibitum esse.

Pliniano autem indice continebantur primum, ut videbimus, coloniae maritimae aut civium Romanorum, quas iure atque honore coloniae nunquam vacavisse constat hae:

Ostia	Castrum Novum Etr.	
Antium	Gravisciae	[Pisaurum]
Puteoli	Pyrgi	Parma
Minturnae	Tarentum	Mutina

Pisaurum igne deletum ab Antonio deductum est.

Deinde continebantur coloniae post Augusti tempus deductae:

	Bovianum	Luceria
	Teanum Sidicinum.	

Errore in indicem receptae sunt:

Placentia	Aquileja (col. lat.)
-----------	----------------------

Omissae sunt coloniae: Firmum

Nuceria	Abellinum <sup>2)</sup>
---------	-------------------------

Abella	Florentia <sup>2)</sup>
--------	-------------------------

Cumae	[Castrum novum Piceni]
-------	------------------------

De ceteris Augusti non est, sed Sullae colonia: Hadria<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Hic liber num idem sit atque breviarium imperii ab Augusto editum, discerni nequit. cf. Detlefsen l. l.

<sup>2)</sup> Pompeii Hadria Abellinum Florentia Praeneste me iudice coloniae Sullae fuerunt.

Restant igitur coloniae hae:

Capua	Fanum Fortunae
Aquinum	Pisaurum
Suessa	Hispellum
Venafrum	Tuder
Sora	Luca
Nola	Pisae
Venusia	Ariminum
Beneventum	Bononia
[Asculum]	[Brixillum]
Ancona	Concordia
Tergeste	Aug. Taurinorum
Pola	Aug. Praetoria
Cremona	[Lucus Feronensis]
Brixia	[Rusellae]
Ateste	[Sena]

Quarum eae, quae unciis inclusa sunt, eiusmodi se habent, ut certa argumenta non existant, quibus effici possit, utrum Augusti coloniae sint necne. Aliis si addis supra nominatas: Firmum Abellam Nuceriam Cumas, habes indicem coloniarum Augusti. Nolo affirmare nos ex reliquiis antiquitatis, quae nobis tradita sunt, certum indicem restituere posse, hoc solum contendo inter has, quas nominavi, colonias duodetriginta, quas Italia habuit ab Augusto deductas, certe inesse.

Restat, ut de coloniis, quas Antonius deduxit hoc loco pauca addamus. Constat eas ab Augusto relatas esse inter colonias a se deductas. Sed nemo mirari potest nominis, quod Antonius coloniis suis imposuit, Octaviano victore, deinde imperante, ad nos nullum vestigium pervenisse. Colonias autem duas inter Augusti colonias ab Antonio deductas esse scimus, Bononiam et Perusiam. Nomina illarum non innotuerunt. Si Antoniana nominata fuerunt, certe hoc nomen deletum est evanitique sive ex imperatoris et colonorum voluntate sive propter illius imperium eorumque obsequentiam.

## § 5.

## De coloniarum nominibus.

Si sola antiquorum scriptorum testimonia spectamus, haec tota coloniarum quaestio optime coloniarum ipsis nominibus solvatur oportuisset. Nam primum quidem<sup>1)</sup> Vellejus 1. 14 sic refert: „militarium (coloniarum) et causae et auctores ex ipsarum praefulgent nomine.“ Et idem Josephus κατὰ Ἀπίωνος 2. 4: „πάντες γὰρ ἐς ἀποικίαν τινὰ κατακληθέντες καὶ πλείστον ἀλλήλων τοῖς γένεσι διαφέρουσι ἀπὸ τῶν οἰκιστῶν τὴν προσηγορίαν λαμβάνουσι“. Neque aliter Dio iudicat 54. 23: „καὶ τὰς ἐπωνυμίας ταῖς πόλεσιν ἢ γερονσία ἐν μέρει τιμῆς ἔνευε καὶ οὐχ ὥσπερ νῦν αὐτοὶ ἐαντοῖς ἕκαστοι καταλόγουσ' ὀνομάτων οὕς, ἀν' ἐθέλῃσσι ὡς πλήθει ποιοῦνται“ quamquam eius testimonio, qui a 222 p. Ch. opus suum conclusit, solum id docetur ante Dionis aetatem cognomina coloniis indita esse a senatu, non a colonis ipsis. Quorum scriptorum vestigia secutus Borghesius, qui, ut iam supra dictum est, de Augusti coloniis militaribus, si hoc vocabulo uti licet<sup>2)</sup>, egregie disputavit, colonias ad nomina illorum disposuit et Julias eas indicavit, quae ante a. 727 aut a III viris r. p. c. aut ab Octaviano deductae sunt, Julias Augustas, quae iterum auctae sunt post a. 727, Augustas, quae post a. 727 conditae sunt. Quod quo iure fieri possit, ut intelligatur, apponam omnia harum coloniarum Italicarum nomina, quae innotuerunt.

col. Iulia Felix classica Suessa	X n. 4832 <sup>3)</sup>
col. Iulia Fan. Fortunae	Gr. 625. 9.
col. Iulia Felix Pisaurum	Or. n. 81.
col. Iulia Hispelli	Gr. 351. 1.
col. Iulia Fida Tuder	Mur. 1111. 4.
col. Obsequens Iulia Pisana	Wi. n. 883.
col. Iulia Felix Lucoferonensis	Or. n. 4099.
col. coniunc. Iulia Sutrina	Gr. 302. 1.
col. Iulia Concordia	V. n. 1901.

<sup>1)</sup> cf. Noris Cenot. Pisana p. 21.

<sup>2)</sup> cf. Mommsen enchir. II<sup>(2)</sup> p. 715 adn. 3.

<sup>3)</sup> = I. N. n. 4324 = Or. n. 5152.

col. Iulia Pola Pollentia Herculanea	V. n. 8139.
col. Iulia Venafrum	I. N. n. 4603.
col. Iulia Dertona	Or. n. 74.
col. Iulia Parentium	V. n. 335.
[col]onia Iulia prae[toria ? Sora]	X. n. 5711.
col. Iulia Castrum novum	Or. n. 1009.
col. Iulia Felix Augusta Capua	X. n. 3832. <sup>1)</sup>
col. Aug. Iul. Venafrum	I. N. n. 4622.
col. [iulia a]ugusta Dertona	V. n. 7376.
col. Iul. Aug. Parma	Gr. 492. 5.
col. Iul. Concordia Aug. Felix Beneventum	IX. n. 2165. <sup>2)</sup>
col. Iul. Aug. Taurinorum	V. n. 6954.
col. Iul. Aug. Flor(entia) V(en)	cod. Taur. <sup>3)</sup>
col. Aug. Ariminum	Wi. n. 2123.
col. Felix Aug. Nola	X. n. 1244. <sup>4)</sup>
col. civica Aug. Brixia	V. n. 4212.
col. Aug. Taurinorum	V. n. 6480.
col. Aug. praet. Salassorum	Plin. 3. 123.
col. Vibia Aug. Perusia	Or. n. 94.
col. Put(eolana) Aug.	Ren. n. 2182.
col. Veneria Livia Alexandr. Abellinatium	X. n. 1117. <sup>5)</sup>

Et nomen Iulia quo spectet, optime Borghesius diiudicavit. Addendum est solum id, quod tempore, quo Borghesius suam dissertationem scripsit, nondum innotuit, etiam colonias, quas Caesare deducere paraverat, postea alii deduxerunt illius nomine honoratas esse. Quod factum esse novimus in colonia Iulia Genetiva condenda ex lege eius, quam invenimus (cf. Eph. Epigr. 2. 119). Atque etiam hoc videtur concedendum esse, non semper nomine „Iulia“ colonias ab Octaviano deductas significari. Nam capite secundo afferentur exempla vicorum, qui hoc Iulium nomen retinuerunt, cum postea coloniae ius adipiscerentur: dico Iulium Carnicum et Jul. Iriensium. Quid

<sup>1)</sup> = I. N. n. 3593.

<sup>2)</sup> = I. N. n. 1411.

<sup>3)</sup> = cf. cap. II. s. v. Florentia.

<sup>4)</sup> = I. N. n. 1976.

<sup>5)</sup> = I. N. n. 1875.

enim valent tituli tertii vel quarti saeculi ad oppidorum ius ac condicionem cognoscendam, quae fuerit primo ineunte? Atque haec est causa, cur nullo modo affirmare aut dicere audeam, Castrum novum Lucoferonensem Senam Iulii colonias Augusti fuisse.

Idem, quod statuit Borghesius de coloniis nomen „Augusta“ habentibus, rectum se habet; nam ex nomine coloniae in Gallatorum finibus a. 729 conditae optime effici potest. — Sed opus est, ut teneamus hoc „Augusta“ nomen omnibus coloniis imponi potuisse, quas quis imperator deduxerit. Itaque, si de colonia aliqua hoc nobis nomen traditur, conquirenda sunt etiam alia testimonia, quae eam ab Augusto conditam esse monstrant. Quam ob causam Perusiam Puteolos Abellinum Veronam inter Augusti colonias non referemus, donec graviora testimonia adlata sint.

Maxime autem offendimur nomine „Iulia Augusta.“ Nam haec nominum cumulatio Augusti tempori et ingenio minime quadrat, quamvis Trajanum, qui grandia nomina et verba semper quaesivit, colonias Ulpiae Traianae nominasse notum sit. De quo nomine, quod Borghesius, ut iam supra dixi, protulit iudicium certis argumentis effici non potest, quamquam facile fieri potuisse non nego, quin coloniae ante a. 727 deductae postea firmarentur. Et in duabus harum coloniis Borghesii coniectura aliis rebus comprobatur: in Benevento et in Capua. Tamen si omnia haec nomina in unum locum collocata contemplaris, facile concedes huic nomini non tantum tribui posse, quantum Borghesius tribuit. — Namque harum septem coloniarum solum duarum nomina sic sincera et certa se habent, ut iudicium de iis ferri possit: Capua et Beneventum. Ceterorum quodvis aliquid mirabilis prae se fert: titulus Venafranus ponit Aug. Iul., Dertonensis lectionis est sic incertae, ut „Iulia“ suppleta sit. Coloniae Taurinae tam diversa nomina proferuntur, ut rectum inveniri non possit. Florentiam et Parmam omnino non credo recte Iulias appellari. De Florentia hoc dico: Sullana colonia est, lapicidae Sabaudiensis errore Iul. Aug. nominata. Parma in Pliniano indice nominatur, quia colonia erat civium Romanorum; titulus tertii saeculi mihi demonstrare non videtur eam Augusti tempore deductam esse, praesertim cum hic titulus in-



certae sit et depravatae lectionis. — Deinde autem hoc tenendum est nos de coloniis Capua Venafro Dertona Benevento Taurina etiam optime iudicare posse, si his titulis nomen „Iulia Augusta“ exhibentibus careremus. — Itaque de hoc nomine usque adhuc nihil certi effici potuit. Ut meum iudicium profitear: colonias Iulias in seculis, quae a simplicitate et dignitate primi abhorruerunt, etiam nomen „Augusta“ sibi arripuisse (cf. Cassii Dion. l. l.). Neque enim ullus horum titulorum ante Hadriani tempus scriptus est.

Quae cum ita sint, ex hac disputatione hic consequitur fructus, ut, quod Vellejus suo tempore pronuntiare potuit, militarium coloniarum Romanorum et causas et auctores ex ipsarum nomine praefergere, nostra aetate omnino dici non posse censeamus.

---

## Cap. II.

### De singulis coloniis quid proditum sit, disquisitio ad Plinianum indicem accommodata.

Ut iam supra promisimus, ad Pliniani indicis formam ac naturam prorsus cognoscendum primum omnes Italiae colonias, quas habet, deinde, quas omittere visus est, regionum ordine enumerabimus eaque afferemus, quae de illarum iure ac conditione aliunde comparari potuerunt. Quo in opere ordiendum videtur esse a regione prima, qua etiam Augustum in libro suo incepisse exposuisse videamur (cf. p. 357).

#### § 1.

#### Index Plinianus.

Sed priusquam haec aggrediar, primum Plinii totus index hic exhibendus est.

Regio I. § 56. **Ostia** colonia a Romano rege deducta.

§ 57. **Antium** colonia.

§ 59. est colonia **Minturnae** Liri amni divisa, **Glanica** appellata.

§ 61. dein **Puteoli** colonia **Dicaearchia** dicta.

§ 63. Intus coloniae **Capua** a XL campo dicta, **Aquinum Suessa Venafrum Sora Teanum Sidicinum** cognomine, **Nola**.

Regio II. § 99. contributa eo maritima colonia, quae ibi fuerat (**Tarentum**).

§ 104. **Dauniorum** praeter supra dicta coloniae **Luceria Venusia**.

§ 105. Cetera intus in secunda regione **Hirpinorum** colonia una **Beneventum**.

Regio IV. § 107. colonia **Bovianum** vetus et alterum cognomine **Undecumanorum**.

- Regio V. § 111. Castellum Firmanorum et super id colonia  
**Asculum** Piceni nobilissima.  
 ab iisdem (Siculis) colonia **Ancona** adposita  
 promuntario Cunero.
- § 110. **Hadria** colonia a mari VI p.
- Regio VI. § 113. coloniae **Fanum Fortunae** Pisaurum cum  
 anne et intus **Hispellum**, **Tuder**.
- Regio VII. § 50. colonia **Luca** a mari recedens propiorque  
**Pisae** .. ortae a Pelopidis sive a Teutanis  
 Graeca gente.
- § 51. a populo Romano deducta **Graviscae**, **Castrum**  
**novum Pyrgi** <sup>1)</sup>.
- § 51. Intus coloniae **Falisca** Argis orta, ut auctor  
 est Cato, quae cognominantur Etruscorum,  
**Lucus Feroniae** **Rusellana** **Seniensis**  
**Sutrina**.
- Regio <sup>2)</sup> VIII. § 115. **Ariminum** colonia . . . . . intus coloniae  
**Bononia**, **Felsina** vocitatum, cum princeps  
 Etruriae esset, **Brixillum** **Mutina** **Parma**  
**Placentia**.
- Regio IX. § 40. **Dertona** colonia.
- Regio X. § 126. colonia **Concordia** . . .  
**Aquilejam** coloniam (praeffluentes).
- § 127. colonia **Tergeste**.
- § 129. colonia **Pola**, quae nunc **Pietas Iulia**, quon-  
 dam a Colchis condita.
- § 130. In mediterraneo regionis decimae colonia  
**Cremona** **Brixia** **Cenomanorum** agro,  
**Venetorum** autem **Ateste**.
- Regio XI. § 123. coloniae ab Alpium radicibus **Augusta Tau-**  
**rinorum**, inde navigabilis Pado, antiqua  
**Ligurum** stirpe, dein **Salassorum** **Augusta**  
**Praetoria** iuxta geminas Alpium fores.

---

<sup>1)</sup> Monitus a Mommseno non ut Detlefsenus post deducta, sed post Cosa Volcentium interpungo.

<sup>2)</sup> Detlefsen l. l. p. 32 existimavit ex Augusti libro demptas colonias sextae septimae octavae regionis.

## Regio I.

## Ostia

colonia maritima fuit; neque mirandum est ob eam causam in titulis imperatoriae aetatis Ostiae repertis invenire „patronum coloniae“, „coloniam Ostiensem“ alia eiusdem rei documenta. Vide titulos Wilm. n. 1720, 1721, 1733, 1749, 1723. — Causa, cur hanc coloniam deductis ab Augusto tribuamus, non exstat.

## Antium

fuit colonia maritima iam a. u. c. 416 deducta et a Tacito A. 15. 23 et a Suetonio v. Neron c. 9 et in titulis Or. n. 3180, Mur. 1100, 5 colonia nuncupatur. Itaque ius coloniae in aetatem imperatoriam servavit. Atque ob eam causam, cum Nero, quia Antium colonia matri puerperio locus fuisset, suo nomine hanc coloniam rursus deduceret, Tacitus A. 14. 27 et Suetonius l. l. de hac re idem referentes, veteranos non deductos, sed adscriptos esse dicunt. Itaque oppidani non expulsi sunt, sed solum coacti novos colonos in civitatem recipere, quod et Augusti temporibus saepe factum est. — Quod Strabo 5, 3. 5 affert: „(Αντιον) νυνὲ μὲν οὖν ἀνεῖται τοῖς ἡγεμόσιν εἰς σχολὴν καὶ ἀνεσιν τῶν πολιτικῶν, ὅτε λάβοιεν καιρὸν καὶ διὰ τοῦτο καταφροδομήνται πολυτελεῖς οἰκίσεις ἐν τῇ πόλει, συχνὰ πρὸς τὰς τοιαύτας ἐπιδημίας“ id ad condicionem rei publicae cognoscendam nihil affert.

## Minturnae

fuit colonia maritima; neque mirandum est ideo, quod in titulis Hadriani temporis I. N. n. 4059, 4060 colonia nuncupatur. — Quod Hyginus refert p. 178 de Augusti deductionibus dicens: „sicut in Compania finibus Minturnensium quorum nova adsignatio trans fluvium Lirim limitibus continetur: citra Lirim postea adsignatum per professiones veterum possessorum, ubi iam opportunarum finium commutatione relictis primae adsignatione terminis more arcifinio possidetur“ non tantum valere mihi videtur, ut inter oppida ab Augusto deducta duodetriginta numeraretur.

1) cf. de col. marit. Marqu. enchir. 4 p. 38.

### Puteoli <sup>1)</sup>

cf. C. I. L. X p. 182 fuit colonia maritima. Sed etiam ab Augusto deductam esse affirmat liber coloniarum p. 236 „Puteolis colonia Augusta. Augustus deduxit“, per se nullius auctoritatis. Neque huic loco aliquid momenti affertur ex eo, quod in titulo Rusicadensi (Renier Inscr. d'Algérie n. 2182) ante Neronem, ut Mommsenus putat, scripto „col. Put. Aug.“ invenitur. Nam primum in hoc titulo mirum in modum „Augusta“ nomini oppidi postponitur, deinde tituli Puteolis ipsis aut in Italia ipsa reperti, alter parietarius Pompejanus C. IV n. 2152, alter Fundanus I. N. n. 707 Puteolos coloniam Claud. Neron., mox Neronis memoria damnata alii certae auctoritatis tituli Flav. Aug. Puteol. nuncupant. Atque etiam Tacitus A. 14. 27 Puteolos primum a Nerone coloniae ius ac cognomentum adeptos esse testatur, ut et lapicidam Rusicadensem et epitomatores libri coloniarum errore deceptos esse facile efficiatur.

Itaque Puteoli in Plinii indice locum habent, non quia est colonia Augusti, sed quia est colonia aut maritima aut a Vespasiano deducta Plinii temporibus florentissima. Magis autem crediderim nuncupari a Plinio, quia maritima fuit.

### Capua <sup>2)</sup>

cf. C. X p. 695. Deduxerunt primum viginti viri lege Iulia Capuam coloniam (Caes. b. c. I. 14). — Caesare interfecto Antonius consul vere anni 710 lege agraria, quae paulo post sublata est, colonos iterum deduxit. (Cic. Phil. 2. 39.) Deinde tresviri r. p. c. ante pugnam Philippensem inter Italiae urbes splendidissimas veteranis suis destinatas etiam Capuam posuerunt App. b. c. 4. 3. Octavianus autem a. 718 coloniae certum numerum colonorum adiecit, (Vellej. 2. 81, Dio. 49. 14, Plin. n. h. 18. 114), sed ut severitatem temperaret, veteribus colonis retentis, pro agro, qui auferebatur, et aquaeductum et agros vectigales in Creta civitati donavit. Tituli, alter imperante Hadriano scriptus X. n. 3832 (3593), ubi haec supersunt [col. iu] LIA · FELIX · AUG., alter X. n. 3867 (3613) aetatis Dio-

<sup>1)</sup> cf. Belochii Campania p. 96.

<sup>2)</sup> cf. Beloch. l. l. p. 306.

clavianae, ubi legitur „Concordia Iulia Valeria Felix Capua“ cum scriptorum testimoniis optime consentiunt. Nam nomen „Iulia“ et „Felix“ a dictatore Caesare fortasse ei impositum est; „Augustae“ nomen probabile est proficisci ab imp. Augusto, sive quia Augustus colonos iterum deduxit, sive quia hoc nomen coloniae impetranti tribuit. — Valeriae nomen spectat ad aetatem Diocletianam. — Concordiae nomen, quid sibi velit, ignoratur. Fortasse spectat ad tres viros r. p. c., conditores, qui se optime censentire semper prae se tulerunt.

### Aquinum

cf. C. X p. 530. Ciceronis aetate (Phil. 2, 41. 106) municipium fuit. Sed cum et tempore, quo Plinius et Tacitus (H. I. 88, II. 63) scripserunt, colonia fuerit et tituli eiusdem temporis idem probaverint, neque inter colonias ante Augustum deductos referri possit, inter Augusti colonias duodeviginti numeranda est.

### Suessa Aurunca

cf. C. X. p. 465, colonia Augusti habenda est. — Nam a. 711 (cf. Cic. Phil. 13, 8. 18) municipium fuit. Sed colonia nuncupatur et a Plinio et in titulis I. N. n. 4033, 4040; atque plenum nomen I. N. n. 4324 = Or. n. 5152 sic exstat: „col. Iul. Fel. classica. Suessa.“

### Venafrum

cf. de Ven. Mommseni diss. in Ephem. Jurisprud. hist. 15, p. 288, Henzen Rh. Mus. IX p. 543, C. X p. 477.

Venafrum inter Augusti colonias referendum est. Id iam Sigonius l. l. acutissime ex libri coloniarum loco p. 239 effecit. Sed quia nos huic libello nullam auctoritatem concedunt, alia testimonia circumspicimus. Atque primum in edicto divi Augusti X. n. 4875 = Wi. n. 784 iam colonia appellatur, deinde duo tituli afferri possunt I. N. n. 4603, 4622, in quibus Venafrum colonia Iul. et colonia Iulia Augusta nominatur. —

Solum hoc ex libri col. loco effecimus deam aliquam ab Augusto terris donatam esse; deinde Augustus coloniam ornari iussit et aedificiis publicis, cuius rei vestigium est titulus I. N.

n. 4623, et magno aquaeductu, de quo edixit Wi. n. 784, per quem coloni non solum aquam omnibus reipublicae muneribus, sed etiam fortasse magnos annuos redditus adepti sunt.

### Sora.

C. X p. 560, 561. Praeter Plinium ex titulis duobus X n. 5711 et n. 5713 (= Wi. n. 1427) Soram coloniam Augusti fuisse efficitur. Nam in altero nuncupatur [col]onia Iul. pra[etoria? Sora] alter autem hic est: L. Firmio. L. f. prim. pil. tr. mil | III vir i. d. | colonia deducta | prim. pontifici | leg. III Sorana, honoris et virtutis causa. De quo titulo in adnotatione Mommsenus sic iudicavit, ut legionem quartam Sorae delectam et illuc deductam esse, L. Firmium autem ex magistratu municipii primum coloniae pontificem factum esse putaret.

Quod Wilmansius adnotat hunc titulum (n. 1427) documentum esse eius rei, quam Tacitus refert A. 14. 27 totas legiones cum tribunis et centurionibus deductas esse dicens, maxime dubium est. Nam si Tacitus Augusti aetatem significare voluisset, certe non vocem „ut olim“ posuisset.

### Teanum Sidicinum.

cf. X p. 471; Agrim II p. 287. Certi tituli I. N. n. 3989 et n. 3999 Teanum coloniam Claudiam Firmam appellant, demonstrant hanc coloniam non ab Augusto deductam esse, quod liber col. p. 238 ponit, sed a Claudio; nam Augusti nomen deest. Idque stabilitur ea re, quod in aliis titulis aevi Claudio anterioris quattuorviri inveniuntur, posterioris duoviri.

### Nola <sup>1)</sup>.

Cf. C. X. p. 142. Praeter Plinii testimonium Nolam coloniam fuisse docetur titulis X. n. 1236, 1244, 1249, 1265; ab Augusto deductam esse efficitur titulo Diocletiani aevi n. 1244 (= 1976), ubi appellatur col. Felix Aug.

---

<sup>1)</sup> Belochius p. 392 l. 1. falso suspicatur, Nolam Sullae coloniam fuisse, quia „Felix“ appellatur.

## Regio II.

## Tarentum

a Plinio ipso colonia maritima significatur.

## Luceria.

C. IX. p. 74. — De Luceria solum id statuere licet, eam Plinii temporibus coloniam fuisse. Nuncupatur colonia in titulis saeculi tertii ineuntis, sed inveniuntur in titulis aevo Vespasiano anterioribus IIII viri. — Itaque Luceria Augusti coloniis tribuenda non est.

## Venusia.

C. IX p. 44. — Veteranis ante pugnam apud Philippos factam hanc urbem coloniam destinatum esse Appianus commemorat b. c. 4. 3, deductam Horatii clarissimum testimonium Ep. 2, 2. 50 affirmat. Etiam posterioris aevi tituli coloniam appellant IX n. 449 (= 735), 472 (= 745).

## Beneventum.

C. IX p. 136. Iam a. u. c. 712, ut promiserunt tres viri r. p. c. ante pugnam Philippensem Beneventum coloniam factam esse demonstrat L. Munatii Planci elogium I. N. n. 4089 = Wi. n. 1112, qui „agros divisit in Italia Beneventi.“ Atque etiam Augustum post proelium Actiacum veteranos VI et XXX legionis Beneventum colonos deduxisse probabile est maxime ex titulo IX n. 1616 (= 1458). Nomen coloniae innotuit ex titulo IX n. 2165 (= 1411) „Iul. Concordia Felix.“ „Concordiam“ coloniae nomen et liber col. et tituli IX n. 1538 (= 1399) et 1445 (= 1387), in quibus coloniae liberti „Concordii“ appellantur, prae se ferunt.

## Regio III.

## Bovianum.

C. IX p. 239. Sullana colonia, ut Drumannus (II p. 479 adn. 4) putat, certe non fuit; nam Caesaris dictatoris tempore, ut declarat titulus n. 2563 (= 4986) municipium fuit. Sed exstat titulus Marcelli centurionis legionis XI Claudia IX n. 2564,



quem, si comparas cum Plinii loco, qui Bovianum Undecumanorum appellat, probabile fit Bovianum Flaviano tempore coloniam deductam esse. IX 2564.

imp CaesaRI · VESPASIANO  
 aug. pont. MAX · TRIB · POTEST VI  
 cos VI design<sup>1</sup> · VII · IMP · XIII · P · P · Cens p. C. 75  
 EX · TESTAMENent  
 MARCELLI · O · LEG · XI · CLaud  
 IATIVM · PRAEF · CHOR III ALpinorum  
 prAEF · CIVITATIS · MAEZEiorum  
 IANORVM · II VIR · I · D · QVINQenn  
 patrONI COLONIAE

## Regio V.

### Hadria

C. IX p. 409. colonia appellatur I. N. 6128 et 6129; titulus autem I. N. 6130 „Venerius col. l. Felix“ nomen Veneria ei fuisse testatur. Certe Plinii temporibus colonia fuit; cognomen „Veneria“ monstrare videtur, si recordaris coloniae Veneriae Corneliae Pompeiorum (cf. Wi. n. 1908), non ab Augusto sed fortasse a Sulla deductam eam esse.

### Ancona et Asculum.

Anconam coloniam fuisse titulus VI n. 1511 demonstrat, ab Augusto deductam Appianus refert l. c. 5. 23: *δύο δὲ στρατοῦ τέλη τὰ ἐς Ἀγκῶνα πόλιν ᾠκισμένα, Καίσαρι δὲ ὄντα πατρῶα καὶ ἐστρατευμένα Ἀντωνίῳ.*

Asculum solo in titulo urbano VI. n. 1512 colonia appellatur. Quo tempore deducta sit, definiri nequit.

VI 1511 C Gallio Aristaeneto

. . . . .  
 decuriones et plebs coloniae  
 Anconitarum

1512 C. Gallio Aristaeneto

. . . . .  
 decuriones et plebs coloniae  
 Asculanorum.

## Regio VI.

### Fanum Fortunae

colonia appellatur Grut. 445. 8 et titulo Bull. d. Inst. 1860 p. 200. Nomen innotuit ex titulo apud Orellium n. 83: L. Titulenus L. f. tertius oriundus colonia Iulia Fano Fortunae e. q. s. Quod nomen una cum Plinii testimonio cogit, ut Fanum Fortunae coloniam Augusti esse credamus.

### Pisaurum

colonia civium Romanorum fuit. Sed legimus apud Plutarchum vit. Anton c. 60: *Πείσανρα μὲν Ἀντωνία πόλις κληρονομία ὀκισμένη παρὰ τὸν Ἀδρίαν χασμάτων ὑπορραγέτων κατεπόθη*; atque invenimus titulos posterioris aetatis Or. n. 83 Fabr. 435. 17, in quibus colonia nominatur. Quae id oppidum post terrae motum rursus revixisse demonstrant. Et quia Or. n. 83 nominatur „colonia Iulia Felix Pisaurum“ coloniis ab Augusto deductis tribuitur. Sed ut iam dictum est, Pisaurum colonia fuit civium Romanorum et ob hanc causam, priusquam terrae motu deleta est, non *Ἀντωνία πόλις κληρονομία* vocari potuit. Quomodo id sese habuit, discerni nequit. Videmus autem Augustum omne vestigium Antonianae deductionis, quam Plutarchus testatur, sic delevisse, ut colonia etiam nomine „Iulia“ usa sit.

### Hispellum

colonia nominatur in titulis Mur. 1104. 21 (splendidissimus ordo colon. Hispellatium) et Or. n. 2170 (C. Matrino Aurelio . . . huius splendidissimae coloniae curator. Nomen innotuit ex titulo Grut. 351, 1. Alfius C. f. Lem. Ruf. II vir quin | col. Iul. Hispelli et II vir . . . .) ut coloniis ab Augusto deductis recte adnumerari possit.

### Tuder

colonia nominatur saepius, inter quos titulos laudo Wilm. n. 2100, qui descriptus est a Nissenno sic incipientem: Pro salute | coloniae et ordinis | decurionum et populi | Tudertis . . . . .

Atque ab Augusto videtur deducta esse, quia legitur apud Mur. 1111, 21

... IORVM .... CAR ...  
 CAE ... RIS NERVAE TRAIANI ...  
 AVG. GERMANICI . DACICI . PRO . PRO ...  
 . . . . .  
 COL. IVLIA . FIDA . TVD ..  
 PATRONO EX D. D.

## Regio VII.

### Luca.

Henzen n. 6493 = Wi. n. 111. 3: L. Memmius. C. f. Gal. Q. tr. pl. pr. | frumenti curator ex s. c. | praefectus leg. XXVI et VII | Lucae ad agros dividendos | pontifex Albanus | Memmia filia testamento suo fieri iussit. Praeter hunc titulum, qui Lucae triumvirorum iussu terrae adsignationes factas esse (de quare vide Momms. enchir. 2<sup>2</sup> p. 716 adn. 2.) declarat, et Plinii testimonium nihil habemus, quod de Luca proferamus. Sed satis haec duo testimonia videntur esse, ut Lucam coloniis Augusti adnumeremus.

### Pisae.

Nomen coloniae cognoscimus ex clarissimis cenotaphiis Pisanis Wilm. n. 883, ubi v. 42 haec leguntur: petantque ab eo, uti colonis Iuliensibus coloniae Obsequentis Iuliae Pisanae ex hoc decreto ea omnia facere exsequique permittat — Liberti coloniae „Obsequentii“ nominabantur, ut perspicitur ex titulo Grut. p. 444: D. M. | Mettia Ianuaria hic adq. con. | b. m. | Quintus Obsequentius Severinus | Aug. Pisis . . . . .

### Graviscæ Castrum novum Pyrgi

notissimae sunt coloniae civium Romanorum. De Castro novo res non liquet; nam exstat aliud Castrum novum in Piceno et hoc a Marquardtio l. l. coniectura colonia civium Romanorum existimatur. Sed illud non erat colonia civ. Rom., sed col. Iul. Castrum novum, de qua re postea dicetur.

### Falisca

quia Plinius addit „Argis orta, ut auctor est Cato“ Augusti colonia non habenda est.

### Rusellae.

Nihil invenio quae adferam.

### Lucus Feroniae.

Solum titulum novi Orellianum n. 4099, ubi sic legitur: M. Silio Epaphrodito patrono . . . . Lucoferonenses . . . quod amphitheatrum col. Iul. Felici. Lucofer. s. p. f. dedicavitque. l. d. d. d.

### Sena.

In tabula Peutingeriana legitur „Sena Iulii“, quod certe non sufficit, ut Seniensem urbem coloniam aut coloniam Augusti fuisse dicamus.

### Sutrium.

Exstat titulus apud Grut. 302. 1 col. coniunc. Iulia Sutrina.

## Regio VIII.

### Ariminum.

Iam inter splendidissima oppida fuit ante pugnam Philip-pensem App. b. c. 4. 3 veteranis destinata. Coloniam fuisse ex titulo Vettii Valentis, aevo Flaviano scripto et L. Betutii Furiani perspicitur, Wi. n. 1617, Grut. 1091. 12; ab Augusto deductam nomen docet in duobus titulis servatum Or. n. 5124 (= Wi. n. 2123) et Or. n. 4025: col. Aug. Ariminum.

Magni momenti est inscriptio pontis Ariminensis Or. n. 604. Quae hic laudari potest, quia hic pons probabiliter donum domus imperatoriae existimatur et inter ea publica aedificia vel instrumenta referri potest, quibus coloniae nuper deductae per Augustum et filios suos ornatae et ditatae sunt. — Augustus hunc pontem aedificasse fertur, eius statua in illo conspiciebatur, ut Dio 53. 22 refert: „εἰκόνες αὐτῶ ἐφ’ ἀψίδων ἐν τε τῇ τοῦ Τιβερίδος γεφύρα καὶ ἐν Ἀρμίνῳ ἐποιήθησαν.

Bononia <sup>1)</sup>

colonia appellatur a Tacito Ann. 12. 58. — Quis deduxerit hanc coloniam, legimus apud Dionem 50. 6: „πάντας γὰρ (Καῖσαρ) τοὺς ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου ἀποικισθέντας τὰ μὲν ἐκφοβήσας, ἅτε ὀλίγους ὄντας, τὰ δὲ καὶ εὐεργετίσας, προσετέθειτο . τὰ τε γὰρ ἄλλα καὶ τοὺς τὴν Βονωνίαν ἐποικοῦντας, αὐτὸς αὐθις, ἵνα δὴ καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ ἀποφισθῆαι δοκῶσι προσκατεστήσατο.“ Idem testatur Suetonius vit. d. Aug. 17. Itaque fuit Bononia colonia Antonii, quam postea Augustus in se suscepit. Quare inter Augusti duodetriginta iure numerari potest.

Titulorum Bononiensium ad statum reipublicae spectantium unus mansit, de quo Borghesius opp. 8 p. 296 egregie disputavit. Est enim hic Or. n. 3325

Divus Augustus parens  
dedit

..... Augustus

Germanicus .....  
refecit.

e. q. s.

Nomen deletum Neronis sit oportet; scimus enim ex Tacito A. 12. 58 (= Suct. Nero 7) Neronem, cum Bononia igne deleta esset, tamquam patronum infelicissimi oppidi a consule largitionem impetrasse. Et in Neronem clientela Bononiae, de qua apud Suetonium sermo est Aug. 17.<sup>2)</sup>, ab Antoniiis venerat, quia Antonia maior, Marci Antonii et Octaviae filia, eius avia fuit. — Quare, si Neronem patronum coloniae balineum deletum refecisse concedes, dubitari nequit, quin Augustus parens coloniae, qui balineum dedit, etiam deduxerit coloniam. — Qua in re solum hoc addendum videtur esse, quod Bononienses, qui hunc titulum scribi iusserunt, iuris coloniae ab Antonio accepti prorsus obliti erant aut oblitos esse simulaverunt.<sup>3)</sup> De nomine coloniae nihil constat.

<sup>1)</sup> cf. Schiller, Gesch. des Röm. Kaiserr. unter Nero p. 79.

<sup>2)</sup> cf. Momms. in Mon. Ancyrr. p. 69.

<sup>3)</sup> cf. ea quae de Pisauro dicta sunt.

## Brixillum.

De Brixillo nihil comperi.

## Placentia

fuit colonia Latina a. 536 deducta. — Lege Iulia pervenit ad civitatem Romanam et post id tempus municipium vocatur et a Cicerone in Pisoniana apud Asconium p. 3 (cf. Marquardt enchir 4 p. 60) et in titulis, si recte a Mommseno suppletur titulus V. n. 5847 ex alio Placentino titulo reperto: Mur. 1067. 4. Et etiam in alio titulo Mur. 679, 1 reperitur pro II vir III vir, alicubi II vir.

## Mutina

fuit colonia civium Romanorum. — Etiam ob eam causam imperatoria aetate colonia nuncupatur in titulo apud Mur. 1112, 5 qui vitiatus invenitur apud Grut. 1160, 3 (cf. Marq. l. c.)

## Parma

fuit colonia civium Romanorum a. 571 deducta et colonia appellatur in titulo honorario V. n. 8659. Sed etiam testimonia exstant, quibus ab Augusto veteranos Parmam deductos esse probari possit. Nam invenimus Parmae titulum hunc (Wilm. 1448):

..... Tertia | ux̄o r  
L. Vettidius C. f. veteranus leg. XII | Paternae  
sexvir, aed

Sed solum unus vel alter veteranus deductus videtur esse, nam legio XII etiam post bellum civile retenta est et postea nomen „Fulminata“ accepit.<sup>1)</sup> — Coloniae autem nomen cognoscere videmur ex titulo posterioris aevi apud Grut. 492, 5. [qui apud Mur. 1110, 5 vitiatus invenitur], ubi legimus „patr. col. Iul. Aug. Parm.“ Ceterum iudicandum est non deesse iis testimonia, qui Parmam Augusti coloniam fuisse censeant, certe discerni rem non posse.

<sup>1)</sup> Wilmannsius adnotat: paterna appellata est legio, cum Augusti exercitui adscriberetur necdum fulminatae nomen accepisset.

## Regio VIII.

### Dertona.

C. V p. 832. Titulus urbanus Or. n. 74 exhibet nomen: P. Vibi. P. f. Mariani e. m. v. . . . oriundo ex Ital. Iul. Dertona: Quod legitur in titulo V. n. 7376 col[. . . . .a]ug Dertona negligendum est, quia titulus lectionis est parum certae et fortasse interpolatae. Tamen Plinio et titulo urbano consentiente coloniam deductam esse ab Augusto statuendum est.

## Regio X.

### Aquileja.

C. V p. 83. A Plinio commemoratur. Sed, ut Mommsenus vidit, Plinium cogitavisse de colonia latina ex eo optime perspicui potest, quod eodem loco L. Pisonis de Aquileja condita relationem citavit. — A. u. c. 664 (cf. enchir 3, 1. 48) municipium factum est, postea Hadriano vel Pio imperante nomen honorificentius coloniae accepit. Quare non mirandum est, quod in duobus titulis huius aut posterioris aevi n. 1084 et n. 1127 inveniuntur servi col.

### Concordia.

C. V p. 178. Iulia Concordia appellatur in titulis quattuor n. 1901, 1884. Grut. 549, 7. C. III n. 5238. Coloniam fuisse testantur Plinius, Ptolemaeus 3, 1. 29, Fronto, qui (ep. ad am ed Niebuhr p. 220) legem coloniae huius commemorat paucaque ex ea descripsit. Itaque Concordia Augusti colonia fuit.

### Tergeste.

C. V p. 53. Titulis tacentibus solis scriptorum testimoniis usi Tergestem coloniam Augusti statuimus. Nam commemoratur colonia a Plinio et Ptolemaeo idemque ab Appiano Illyr. 18. — Fortasse, ut suspicatur Mommsenus, Appianus errat, qui eam refert a. u. c. 719 conditam esse. Namque ex titulo n. 525 „Imp. Caesar eos desig. tert. | III vir. r. i. c. iter. | murum turresque fecit“, quem non convenire nisi anno 721

facile apparet, concludi potest Augustum eodem anno, quo turrem murosque fecit, etiam coloniam condidisse.

adn. Caesar consul iterum factus est a. 721, consul tertium a. 723, triumvir r. p. c. iterum fuit ab a. 717 ad a. 721.

### Pola.

C. V p. 3. Polam ab Augusto deductam esse colligitur ex plenis coloniae nominibus „Iulia Pola Pollentia Herculanea“, quae innotuerunt ex titulo V. n. 8139, deinde, quia a Plinio colonia „Pola quae nunc Pietas Iulia“ significatur. Optimeque huic rei convenit, quod in titulo n. 50 invenitur tribunus leg. XXIX, quae Caesariana ex earum numero fuit, quae ante a. 727 certe exauctoratae sunt (cf. Momms. adn.). — Coloniae liberta in titulo n. 83 appellatur Pollentia, ut „Pollentia“ nomen praecipuum coloniae fuisse possit. — Ex eo, quod colonia a Plinio „Pietas“ vocatur, colligi non potest L. Antonium hanc coloniam condidisse. Nam quamquam hoc nomen accepit (Dio. 48. 5) et suos nummos sic inscripsit (cf. Ekhel D. N. 6 p. 42), ut haec res amoris fraternae splendidissimum testimonium existeret, tamen haec pietatis et concordiae vocabula a triumviris solam ob eam causam data esse existimanda sunt, ut eorum optimum consensum in rebus domesticis demonstrarent (cf. Beneventum).

### Cremona.

C. V p. 413. Augustum veteranis suis in Cremona, quae lege Julia municipium factum erat, agros divisisse Probus in comm. ad eelog. p. 6 retulit. Inde Cremona colonia vocatur et a Tacito h. 3. 32 et a Strabone V p. 206 et a Plut. Otho. 7. — In titulo n. 4191 invenitur miles leg. X Veneriae. — Virgilio bonum suum Cremonense ab Augusti militibus ablatum esse notissimum est.

### Brixia.

C. V p. 439. In titulo Augusti tempore scripto colonia nominatur <sup>1)</sup>; plenum nomen col. Aug. civica Brixia, quod innotuit ex titulo n. 4212, aliquam rem significare videtur, qua Brixia

<sup>1)</sup> V. n. 4307: Divus Augustus | Ti. Caesar divi Augusti f. divi n. | Augustus | aquas in coloniam | perduxerunt.



colonia diversa fuit ab aliis Augusti coloniis. Certe Augusti colonia habenda est.

### Ateste.

C. V p. 240. colonia nuncupatur in titulo Augusti vel Tiberii temporibus scripto n. 2561. Nomen, quod habuit, notum non est. Deducti sunt, ut tituli docent, praecipue legionis XI et V urbanae milites; sed etiam tituli militum, qui in aliis legionibus aut in cohortibus praetoriis stipendia fecerunt, inveniuntur. — Coloniam post proelium Actiacum deductam esse ex eo cernitur, quia milites nonnulli, qui omnes probabiliter Atestem deducti erant, honorificum nomen Actiacum habent. Tituli militum hoc nomine insignium hi sunt n. 2503, 2501, 2839, 890, 2389, quorum tres Atestae inventi sunt, quartus Aquilejae, quintus Patavii; sed etiam hi duo tribum Romiliam habentes, Atestae tribuendi sunt, praesertim cum ex Ateste Patavium titulos ablatos esse constet.

De titulo n. 2501 egregie Mommsenus disputavit in comm. mon. Ancy. p. 40.

## Regio XI.

### Augusta Taurinorum

C. V. 2 p. 779. colonia nominatur a Tacito h. 2. 66 et in titulis n. 7002, 7003, 7007 item in suburbano Or. 2179. Deinde appellatur in titulis „Iulia Augusta Taurinorum“ et „Iulia Augusta“ et „Augusta Taurinorum“. Dubium esse non potest, quin Augustus eam deduxerit, sed nescimus, quo anno id factum sit.

### Augusta Praetoria Salassorum

colonia appellatur a Plinio et Ptolemaeo. Scriptores Cassiod. ad a. 729, Suet Aug. 21, Strabo 4, 6. 7, Dio. 53. 25 consentiunt devictis Salassis in loco castrorum Varronianorum coloniam militum conditam esse nomine imposito „col. Augusta Praetoria“.

## § 2.

**Coloniae quae desunt indici Pliniano.**

Desunt Pliniano indici coloniae, quae aut a Borghesio aut a nobis coloniae iudicantur exceptis iis, quae sola libri coloniarum auctoritate nituntur, hae: Abella Abellinum Cumae Nuceria Castrum novum (Piceni) Florentia Perusia Parentium Verona Augusta Bagiennorum. Videamus quid de iis dicendum sit.

**Abella.**<sup>1)</sup>

C. X, p. 136. Abellam coloniam fuisse perspicitur ex titulo Trajanae aetatis X. n. 1202 (= 1947), ubi legitur „N. Marcio . . . donis donato a divo Traiano . . . patrono col. d. d.“ Sed iam Augusti tempore colonia fuit, cuius rei testimonium invenitur titulus n. 1210 (= 1958), ubi legitur „colonei et incolae“.<sup>2)</sup>

**Abellinum.**

C. X. p. 127. Nomen, quod innotuit ex titulo X. n. 1117 (= 1875) singulare neque lectionis prorsus certae „Ven(eria) Livia Augusta Alexandriaana Abellinatium“ incertum relinquit, num inter Augusti colonias recte referenda sit. — Fortasse nomen „Veneria“ Sullanam originem monstrat.

**Cumae.**

C. X. p. 351. — Si titulos X. n. 3703 (= 2568) et 3704 (= 2569), ubi Cumae colonia vocatur, respicis neque Petronii narrationem c. 57 negligis, qua probabiliter Cumae significantur, Cumas coloniam Augusti fuisse facile concedes. Quod Plinius Cumas in indice suo omisit, fortasse ob eam causam fieri potuit, quia iam in ora describenda (3, 61) eas commemoraverat. Alio loco in errorem oppositum deductus est: § 104 Venusiam inter colonias recenset, deinde iterum inter oppida.

**Nuceria**

C. X. p. 124. erat inter Italiae splendidissima oppida ante pugnam Philippensem veteranis destinata. — Neque solum a Plinio et

<sup>1)</sup> Beloch. p. 412.

<sup>2)</sup> titulus I. N. n. 1945 = X. n. 1200 adferri non potest. Solum enim hoc superest  
SEX POM  
COS PATI

Ptolemaeo, sed etiam et a Tacito A. 13. 31; 14. 17 et a Seneca nat. quaest. 6. 12 colonia nuncupatur, cui rei optime consentit tituli fragmentum hoc X. n. 1090 VS. COL. L. PHIALVS  
ET. SVIS. —

Itaque fuit certe Augusti colonia. — Sed videtur colonia ab antiquo municipii splendore decrevisse, propterea quoniam Tacitus l. l. a. p. C. 57 eam supplemento firmatam esse dixit, deinde ob titulorum paucitatem.

### Florentia.

Apud Plinium 3. 52 Florentini in oppidorum recensu <sup>1)</sup> locum habent. Sed hic Plinii error videtur latere. Nam exstat titulus Or. 3711 Florentiae repertus, ubi „colon. adlectus“ invenitur. Atque alter titulus affertur iam a Borghesio (l. l. p. 275), qui nomen coloniae Flor. exhibet „Iul. Aug.“ Repertus est in pago Arbin Sabaudiae, Montemiliani in arcem translatus, deinde primum publici iuris factus a Guichenon Hist. Sabaud. p. 32. — Sed Guichenon et Borghesius exhibent lectionem incertam et depravatam, habemus, ut Hirschfeldius a me rogatus benevolentissime per literas me docuit, si non lapidem ipsum, egregie de lapido ipso, qui fortasse etiam nunc exstat, exemplum a Perizonio expressum in cod. Taurino (cf. C. I. L. V p. 772) f. 155:

T · POMPEIO · T · F · vol[tinia]  
ALBINO  
TRIBVNO · MIL · LEG · VI  
VICTRIC · SVB · PROc  
PROVINCIAE · LVSITANIAE iivir  
I · D · COL · IVL · AVG · FLOR · V · ·  
POMPEIA · T · FIL · SCATINA · · · ·

Quae adscripsi Hirschfeldii supplementa sunt. — Ex quo exemplo apparet V neque V(iva) suppleri neque ad Pompeiam referri posse, ut Borghesius voluit, praesertim cum Hirschfeldio

<sup>1)</sup> In eodem oppidorum recensu scribitur „Arretini Veteres Arretini Fidentiones Arretini Iulienses.“ Borghesius l. l. Arretium ob hanc causam inter colonias Augusti retulit; ego sequi non possum. Nam Arretini Iulienses esse potuerunt, Arretium colonia sit non oportuit.

teste in illis regionibus, ubi titulus repertus est, hic vocabuli „vivus“ usus adhuc inveniri non potuerit, sed hoc V referendum esse ad coloniae nomen. — Duo coloniarum nomina novi litera V incipientia: Valeria et Veneria. Quorum „Valeria“ Diocletianam originem significans huic titulo, qui omnia optimae aetatis signa prae se fert, apta non est, altera „Veneria“ optime convenit. Nam etiam Augusti coloniae facile Veneriae nominari potuerunt. — Magis autem crediderim Florentiam coloniam Sullanam fuisse ab Augusto auctam et firmatam. Cuius rei solum vestigium nobis superest haec litera V. Nam Flori locus (2. 9. 27): „municipia Italiae splendidissima sub hasta venierunt Spoletium Interamnium Praeneste Florentia“ non cogit, ut Ithium secuti (H. R. 5 p. 408 A. 3) haec oppida Sullae colonias existimemus; alias enim res respicit. Sed fieri potuit, ut haec oppida vendita etiam deducerentur. Neque solum ex his oppidis Florentiam coloniam Sullanam fuisse efficiatur oportet, sed etiam Praenestem. Namque Gellius N. A. 16. 13 Hadrianum in oratione de Italicis, quam in senatu habuit, dixisse affert: Praenestinos maximo opere a Tiberio imperatore petisse orasseque, ut ex colonia in municipii statum redigerentur. Ex quibus apparet Praenestem et Tiberii tempore coloniam fuisse et, cum nullo modo coloniis Augusti tempore deductis adnumerari possit, a Sulla conditam esse.

### Perusia.

Quod Dio. 48. 14<sup>1)</sup> et Appianus b. c. 5. 49 referunt, Augustum, quia oppidum anno 713 omne, praeter Hephaesteum igne deletum esset iis, qui vellent permisisse, ut ibi habitarent, optime consentit cum eo, quod oppidum in titulo Or. n. 93 nomen habet „Augusta Perusia“, quod legitur in titulo Or. n. 608 „Aug. sacr. Perusia restituta“, quod tituli quatuorvirorum municipium reperiuntur, ut titulus Or. n. 3707.

---

<sup>1)</sup> ἡ πόλις αὐτὴ πλὴν τὸν Ἡφαιστεῖον τοῦ τε τῆς Ἡρας ἔδους πᾶσα κατεκαύθη. τοῦτο δὲ ἐσώθη γὰρ πως κατὰ τύχην ἀνήχθη τε ἐς τὴν Ῥώμην ἐξ ὄψεως ὀνείρου, ἣν ὁ Καῖσαρ εἶδε καὶ παρέσχε καὶ τῇ πόλει πρὸς τῶν βουλευμένων συννοικισθῆναι, πλὴν ὅτι τῆς χώρας οὐδὲν ὑπὲρ ἑπτὰ καὶ ἥμισυ σταδίων ἐκτίσαντο.

Sed ob portae Marciae inscriptionem, quae legitur in titulo Or. n. 94 „colonia Vibia Aug. Perusia“, Borghesius<sup>1)</sup> Perusiam inter Italiae colonias retulit. Et etiam in edicto Perusino, anni a. C. 161 duoviri inveniuntur, qui solum in coloniis reperiri solent. Sed etiam in eodem ipso edicto oppidum non colonia, sed solum „Augusta Perusia“ vocatur. — Res aequae atque in oppidis Iulium Carnicum et Iulium Iriensium (V p. 829 et 172) ita explicanda est, ut Perusia nomine „Augusta Perusia“ vicus esset, postea coloniae magistratus acciperet, postremo cum imperante C. Vibio Gallo (251—253), qui Perusinorum patronus fuit aut ideo creatus est, ad nomen et ius coloniae pervenisset, nomen „Augusta“ priorum temporum servaret.

### Castrum Novum (Piceni).

Existimatur colonia civium Romanorum, sed nullum certum testimonium exstat, quo id stabilitur. — In Plinii indice inter Etruriae oppida invenimus coloniam Castrum Novum, tituli Or. n. 1009 et n. 5543 col. Iuliam Castrum novum in Piceno situm nuncupant; titulus enim Or. n. 1009 prope ad oppidum, quod hodie Civitavecchia est, repertus est. Sed hi duo tituli ineuntis quarti saeculi omnino non videntur sufficere, ut Castrum Novum Augusti coloniam existimemus.

### Firmum.

C. IX p. 508. — Apud Plinium 3. 111 solum de castello Firmanorum sermo est. — Tamen Firmum inter Augusti colonias referendum est. Nam quamquam titulus n. 534 „Imp. Caesar Aug. | Pont. Max parens | coloniae dedit“, ex quo Borghesius (opp. V. 271) effecit Augustum coloniam Firmum deduxisse, si non recte falsus graviter suspectus est (IX. 28\*), tamen ex edicto Domitiani n. 5420 (= Or. 3118) legionem quartam C. Caesaris Firmum deductam esse constat; et in aliis titulis n. 5337, 5363 seq. colonia nuncupatur. Nomen „Iulia“ habuisse recte effici non potest ex reliquiis tituli VI. n. 1481 cur(atoris) rei p(ublicae) I. . . . Firman(orum).

<sup>1)</sup> cf. Borghesi l. l.

### Parentium

C. V. p. 35 apud Plinium oppidum appellatur, sed in titulo n. 335 „col. Iulia Parentium“ dicitur, ut eodem tempore, quo Pola deducta esse videatur.

### Verona

V. p. 327. apud Plinium 3. 130 municipium vocatur. Sed obstat solum huic vocabulo, quia in titulo n. 3329, qui a. p. Chr. 265 scriptus est, dicitur colonia „Augusta nova Gallieniana“ et apud Tacitum H. 3. 8 colonia vocatur. Sed fieri potuit, ut Tacitus erraret aequae atque, cum Augustam Vindelicorum coloniam nuncuparet (Germ. c. 41), neque titulo a. 265 p. Chr. scripto videtur satis effici posse, ut cum Borghesio coloniam inter Augusti colonias referamus.

### Augusta Bagiennorum

V. p. 873. certe Augusti colonia non est, in titulo n. 7153 inter municipia refertur.

---

<sup>1)</sup> cf. C. I. L. III. p. 711.

---

## V I T A.

Natus sum Ludovicus Alexis Hollaender Burghersdorpium in vico Africae orientalis die II Maii a. 1858 matre Bertha, e gente Hess, patre Ludovico, quibus superstitibus adhuc gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae.

Primum adii gymnasium Berolinense Fridericianum-Werderianum, deinde Halis Scholam Latinam et civicum gymnasium auspiciis florens ill. Nasemann. Unde testimonium maturitatis adeptus philologiae studiis me dedi. Docuerunt me per octies sex menses viri ill. Friburgi: Hense B. Schmidt; Halis Saxonum: Dittenberger Duemmler Eck Gosche Haym Heydemann Hiller Keil Kirchhoff Joh. Schmidt Thiele Zacher; Berolini: Mommsen A. Kirchhoff Robert Curtius Grimm Leonhard. Quibus omnibus optime de me meritis gratias maximas habeo et semper habebo.

---

## Sententiae controversae.

### I.

Thucyd. I. 12. Herwerdeni ἐτέρας pro τὰς scribendum est.

### II.

Tacit. A. 14, 7 lego „quos statim acciverat, incertum, expertes rei gnarosne.“

### III.

Mucio Cordo, qui Porsennam interficere conatus est, non prius quam post Scaevolarum obitum illud „Scaevola“ nomen inditum est.

### IV.

Evocati fuerunt milites ex cohortibus praetoriis et urbanis, qui solita stipendia iam peregerant, proximi dignitati centurionum.

### V.

Juvenis inter Parthenonis figuras partis orientalis „Hercules“ habendus est.

---









UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA



3 0112 061898224